



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XXII. Ex Scripturis ostenditur, Spiritum à Filio procedere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

## CAPVT XXII.

*Ex scripturis ostēditur, Spiritū à filio procedere,*

**A**M igitur, quod Spiritus sanctus à Filio procedat, PRIMVM ex Scripturis demōstrandum est. Ait Dñs Ioan. 16. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Et iū 17. *Omnia tua mea sunt.* Ex quibus verbis ita concludi potest argumentum; Quidquid Pater habet, habet etiam & Filius, excepta solūm relatione paternitatis, vt Augustinus exponit: sed Pater habet esse principium Spiritus sancti, ergo & Filius id ipsum habet; Vnde Augustinus lib. 5. Trin. ca. 4. *Est Filius, inquit, hoc omnino, quod Pater, non tamen Pater, quia iste Filius, ille Pater.* Vbi Augustinus sequens verba Domini docet Filium esse omnino idem cum Patre, excepta relatione paternitatis. Ex quo manifestè sequitur esse eundem Filium spiratorem Spiritus sancti. nam hoc non est esse Patrem, & tamen habet hoc Pater, vt sit spirator.

Deinde, si Pater, & Filius non haberent omnia cōmuna excepta relatione opposita, distinguerētur plus quā relatione, & proinde distinguerentur substantia; nam Pater, vt spirator, non est relatiuum ad Filium, ergo si vt spirator, distinguitur à Filio, distinguitur per spirationē, non vt relatiuum, sed vt est forma quædam in Patre subsistens: proinde Pater, & Filius in substantia differunt, quæ est hæresis Ariana.

SECUNDO probatur ex illis verbis eiusdē capituli: *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quibus verbo, accipiet à Filio Spiritus nisi scientiā? nam paulo antea dixit, nō à se ipso loquetur, sed quæcumq; audiet loquetur. Scientia exponit Chrysostomus, Cyrillus, & Augustinus, non etiā Theophylactus, & Euryimius. Quo modo autem Spiritus accipere à Filio scientiā, nisi accipiēdo ab illo scientiam? quidquid enim aliud dicatur? fiet Spiritus S. creatura.

Insinuant duas solutiones Theophylactus, & Euryimius. Primū dicunt, Spiritum accipere de scientia Filij, quod nihil docet contrarium iis, quæ docuit Filius. Deinde addunt illud, *de meo*, significare de meo thesauro, qui est Pater, & Filius diceret, inde Spiritus accipiet, vnde ego accepi.

At certè PRIMA solutio nō quadrat. nam non solūm Christus dicit, *accipiet de meo*, sed etiā dicit, *nō loquetur à se ipso*; vbi aperte indicat scientiā Spiritus sancti non esse à se ipso.

seipso, sed à Patre & Filio. SECUNDA solutio etiã non quadrat. nam thesaurus scientiæ in Deo nõ est persona Patris præcisè, vt persona, sed essentia diuina, quæ est cõmunis Patri, & Filio. nam & thesaurus, & scientia perfectionè absolutã significant, quæ sine dubio ipsa essentia est. Quocirca B. Paulus de Filio dicit Colof. 2. *In Christo Iesu oēs thesauri sunt scientia, et sapientia Dei;* Spiritus ergo accipiẽs de hoc thesauro, accipit necessariò de re cõmuni Patri, & Filio, & proinde nõ magis ab vno accipit, quã ab alio. vnde Didymus lib. 2. & Cyrillus in hunc locum fatentur, hinc deduci, Spiritum à Filio esse.

Sed peres, cur dixit, *de meo*, & non potius, meam essentiã, seu sapientiã accipiet? & cur ait in futuro, accipiet, & nõ potius in præterito, accepit? RESPONDEO, dixit, *de meo*, quia procedens de Filio Spiritus sanctus non totũ id, quod est in Filio, accepit. non enim filiationem accepit, sed essentiã, ex qua & filiatione cõstituitur Filius secundum modũ nostrum cõcipiendi. Et hoc indicauit ipse Dominus cùm ait: *Omnia qua habet Pater, mea sunt*, ideo dixi, quia de meo accipiet, id est, accipiet id quod est cõmune mihi, & Patri, non autè propria vtriusque. Cur autè dixerit in futuro, ratio est, quia acceptio illa æterna est, & continet in se virtute omnia tẽpora, & ad omnia tempora accommodari potest. Vnde S. A. V. G. V. S. T. I. N. V. S. exponens hunc locũ, sic ait: *Erit, fuit, est. Erit, quia nunquã deerit; fuit, quia nunquam defuit; est, quia semper est.* Itaq; cùm omnia tempora in æternitate cõtineantur, & omnes propositiones de rebus æternis veræ sint, quocunq; tempore exprimantur: Scriptura varia tẽpora exprimit, prout res, de qua agitur, postulat. hoc autè loco describitur Spiritus sanctus tanquam legatus à Patre & Filio mittendus ad Apostolos: Legati autem tunc solent instrui, quando mittuntur, ideo dicit quæcunq; audiet, & de meo accipiet.

TERTIO probatur ex eodem textu, vbi legimus: *Si non abiero, paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et cap. 15. *Cùm venerit paracletus, quem ego mitto vobis à Patre.* Omnis missio aut est per imperium, quomodo mittuntur serui à dominis; aut per consilium, quomodo mitti dicuntur qui instruuntur à sapientioribus, vt cùm mittuntur ægroti à medico ad capiendam medicinam; aut per naturalem productionẽ, quomodo arbores mittere dicun-

dicuntur radices, emittere flores, &c. Certum autem est Spiritum sanctum non posse mitti ut seruum, vel ignorantem a potentiore vel sapientiore; constat enim inter nos & Græcos, Spiritum sanctum esse Deum, ergo missio eius erit intelligenda secundum productionem. & hoc idem confirmatur ex AUGUST. lib. 4. Trinit. cap. 19. 20. & sequentibus, qui dicit Filium mitti, esse Filium nasci, Spiritum sanctum mori, esse Spiritum sanctum procedere.

RESPONDENT Græci, missionem Spiritus S. per Filium, vel à Filio non significare processionem, quoad incertam subsistentiam, sed missionem externam ad creaturam per donorum largitionem; & quoniam etiam Filius donat hominibus gratiam, fidem, spem, caritatem, ideo dicitur dare, seu mittere Spiritum sanctum, quia nimirum dat dona quæ dicuntur Spiritus sancti.

At certè quando dicitur dari seu mitti Spiritus sanctus, pòt solùm datur dona creata, sed cum donis illis datur etiam veritas, & mittitur Spiritus S. & contrarium asserere est manifestus error. Nam Rom. 5. dicitur: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* Vbi vides potè distinguì Spiritum sanctum & dona eius, & verumque dici. Item I. Cor. 6. *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, quæ habetis in vobis.* Et infra: *Portate Deum in corpore vestro.* At certè dona Spiritus sancti non sunt Deus, neq; illis debetur templum. Et I. Ioan. 4. *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ergo nõ sola caritas in nobis manet, quæ non est Deus, sed manet verè ipse Deus. Denique quæ dicitur Ioan. 16. *Si non abiero, paracletus non veniet ad vos, si abiero, mittam eum ad vos.* Et Ioan. 14. *Alium paracletum dabit vobis, &c.* non nisi absurdissimè exponitur de dona. Dona enim nec veniunt, nec mittuntur, nec possunt comparari cum Christo, ut vnus paracletus cum alio.

Accedat auctoritas Patrum, Ambrosij lib. 1. de Spiritu Sancto, cap. 4. & 5. Augustini lib. 15. Trin. cap. 26. Chryl. I. ad Rom. cap. 5. ad Rom. Cyrilli in cap. 16. Ioannis. qui omnes ipsam Deum Spiritum sanctum à Filio mitti docent.

Accedat postremò manifestissima ratio; nam si ideo dicitur mitti Spiritus à Filio, quia Filius est auctor donorum, posset etiã dici mitti Pater à Filio, immò & Pater & Filius à Spiritu

Spiritu sancto, quia quælibet persona est auctor omnium donorum. ITEM si mitti Spiritum à Filio esset mitti dona eius, etiam cum legimus Filium à Patre missum in mūdum, possent, qui id non credunt, respondere, non esse missum verè Filium, sed aliquod donum creatum, & sic euacueretur mysterium incarnationis.

Fortassè dicent, venire quidem ad nos ipsum Spiritum sanctum, sed dici mitti à Filio, quia ille fuit causa suis meritis, vt ad nos veniret Spiritus sanctus. Sed hoc modo posset etiam dici, mitti Patrem à Filio. Nam suis meritis fuit etiam causa, vt ad nos Pater veniret, iuxta illud Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus.* Pari ratione si dicant à Filio mitti Spiritum sanctum, quia Filius consentit vt veniat. eodem modo dicam Patrem à Filio, & Spiritu sancto mitti.

Nec obstat quod Isa. 48. & 61. dicitur, Filius à Spiritu mitti, à quo tamen non procedit. Nam Filius mittitur à Spiritu, quatenus homo est, secundum quam formam verè Filius à Spiritu sancto est, vt à causa actiua. id patet Luc. 4. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, euangelizare pauperibus misit me.* Secundum eam formam igitur Spiritus misit Filium, secundum quā est super eum, & illum unxit. Quæ cum ita sint, aut oportet ex Euāgelio delere illa verba Christi de Spiritu sancto, *ego mittam eum*, aut certè concedendū est, Spiritum sanctum à Filio procedere per internam atque æternam hypostasis eius productionem.

Cur autē dicat Filius, *mittam*, in futuro, cum tamen processio sit æterna, facile potest explicari; nam missio duplicem relationem importat, vnam ad eum, qui mittit, alteram ad eum, ad quem mittit. Quantum ad primā relationem, missio est æterna, & de omni tempore verificari potest: at quantum ad secundā, est temporalis. Mittitur enim Spiritus sanctus ad homines, quādo incipit in eis esse nouo modo, id est, per cognitionem & amorem, id est, quando incipit cognosci & amari per infusa ab ipso dona. Quoniam ergo ista missio quoad terminum ad quem, futura erat, quoad terminum à quo semper fuit, est, & erit: ideo dictum est *mittam*; sic enim est vera propositio quoad totam rationem missionis.

QUARTO probatur ex illo Ioan. 20. *Insufflauit & dixit, accipite*

*accipite Spiritum sanctum.* Hac enim cæremonia, vt exponunt Augustinus lib. 3. in Maximi, cap. 14. & Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 56. significare voluit Christus, à se procedere Spiritum sanctum. THEOPHYLACTVS quidem scribens in cap. 3. Ioann. rider hoc argumentum, sed quàm bene ipse viderit; nam nullam ipse eius cæremonia causam reddere potest. Et præterea ipso doctiores, sanctiores, & antiquiores sunt Cyrillus, & Augustinus, qui hoc argumento vtiuntur. Nec dubito, quin ridendus sit ipse non modo Latinis, si Augustinum ridere voluerit, sed etiam à Græcis Cyrillum.

QVINTO probatur ex illo Roman. 8. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et Galat. 4. *Quoniam estis Filij Dei, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem Abba Pater.* Cur enim dicitur Spiritus sanctus, Spiritus Filij? certe non quia est seruus eius, vel opus est frater eius, sed quia spiratur ab eo, quomodo etiam dicitur Spiritus Patris. Roman. 8. *Si Spiritus eius qui spirauit Iesum, &c.* Et Matth. 10. *Spiritus Patris & Filij loquentur in vobis.*

Dicent fortassè, vocari Spiritum sanctum, Spiritum Filij, quia simul cum illo à Patre procedit, vel quia est similis illi, aut alia de causa, non autem quia spiratur à Filio. At rursus est, cur non posset eadem ratione dici Christus Filius, vel Verbum Spiritus sancti? quod tamen nusquam legitur. Nec potest responderi, Filium habere relationem ad Patrem, & Verbum ad dicentem; nam etiam Spiritus habet relationem ad spirantem. Sicut ergo Spiritus sanctus, licet à Patre non spiratur, potest dici Spiritus Filij, quia est illi similis in essentia, & cum eo simul à Patre procedit: ita quoque Spiritus sanctus, licet à Spiritu sancto non generetur, poterit dici Spiritus Patris, quia est illi similis in essentia, & cum eo simul à Patre procedit. Atque hoc argumentum tanti fecerunt Augustinus, vt tractat. 99. in Ioann. hoc solo argumento contentus fuerit ad probandum Spiritum sanctum à Filio procedere.

